



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illustrium Virorum Poemata

Amstelodami, 1672

In obitum fortissimi Viri Nicolai Serinii ab Apro confecti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11215

Parva loquor. Tacitis designa sensibus unam :
 Illicet hanc digito vaticinante notat.
 Stat circum densa, atque oculos defixa corona,
 Thessalico exclamat carmine monstra geri.
 Tu ne crede nefas. Facit hæc ludibria menti,
 Infidias oculis tendere docta manus.
 Neve fidem præstes alienis credule dictis,
 Quam debes oculis sæpe negare tuis.

*Inscribendum Aviario hortorum Quirinalium,
 in quo Turtures.*

Respice quisquis ades, Regum qui vivis in Aula,
 Si cupis effigiem fortis habere tuæ.
 Cum pleræque trahant per mille pericula vitam
 Suetæ hyemem volucres, pauperiemque pati:
 Turturibus secura quies, & copia frugum
 Suppetit, & rivus, cum lare, jugis aquæ.
 Hic ver assiduum: hic vesci fas dulcibus auris:
 Præsentemque loci sæpe videre Deum.
 Quas illi debent, tali pro munere, laudes!
 Hic tamen æternos gutture dant gemitus.

In obitum fortissimi Viri

NICOLAI SERINII

ab Apro confecti.

Dum flet dente fero Mavors heroa peremptum,
 In quem Asiæ iratæ nil potuere manus;
 Dumq; hastâ premit ultor Aprum, & simul exprobrat illi
 Quò Veneri placeat funus, Adoni, tuum;

Quint

Quid mea, clamat Aper, benefacta in crimina vertis?
 Hæc mihi pro gemino munere, Dive, refers?
 Solliciti tibi materies erat alter amoris:
 Cura metusque tuis Thracibus alter erat.

A D

ALEXANDRUM VII. P. M.

Ineunte Pontificatus anno duodecimo.

Hanc celebrare diem Phœbi chorus, inclyte Prin-
 cept,
 Cùm merito nequeat carmine; vota facit.
 Et faustâ populis prece Divûm supplicat aris;
 Ut numeres Pylios, sed sine nube, dies.
 Ne paveant votum Agricolæ. Si nubila defunt;
 Principe Te, fruges aureus imber alit.

A D

ALEXANDRUM VII. P. M.

Ineunte Pontificatus anno quarto.

Non indigna Tui canerem nunc, Maxime Princeps;
 Sed cohibet justus me, retinetque pudor.
 Nam recolens lucem, Tibi quæ dedit Orbis habenas,
 Natalem celebrat nostra Thalia suum.

K 2

In-